



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Hieronymo VVolfio Oratio Matthaei Dresseri

Dresser, Matthaeus

Lipsiae, 1582

VD16 D 2711

urn:nbn:de:hbz:466:1-12522




L. VI

9

Th. 5859.







DE HIERO-
NYMO VVOLF-
FIO ORATIO

Matthæi Dresseri

HABITA IN ACADÉ-
mia Lipsica.




Lipsiæ

APVD HÆREDES
Iacobi Berualdi.

Anno

M. D. LXXXII.



NOBILIBVS
ET MAGNIFICIS

VIRIS, VIRTUTE, PRV-
dentia & autoritate præstantibus,
Dominis Conſ. & Senatori-
bus Auguſtanæ
Reipub.

Sal. Pl.

SI fortè mirum vobis
videtur, ampliffimi
viri, conſules & ſea-
natores, quid mihi
in mentem venerit,
ut procul ex Inſlyti Principis Sa-
xonie, Dñi Auguſti, Septemviræ
Imperij Romani Academia, hanc
de Hieronymo Wolffio orationem
ad veſtram amplitudinem mittã:
in promptu habeo, quod responde-
am. Non gloria, non ambitio, nec
A 3 ulla

*Nulla animi cupiditas mala me, ut
hoc facerem, incendit: sed iustum
hoc ac debitum officium vobis red-
dendum esse existimaui. Ad quos
enim iustius est Hieronymi Wolf-
fij laudationem referre, quam ad
vos, qui illum ciuem esse vestrum
omni iure dicitis, & totum vobis
merito vendicatis? Ut igitur ius-
cundus vobis fuit eius conuictus,
& laudi datur Reipub. Augustanae
illius opera: sic grata erit absq;
ulla dubitatione eiusdem nominis,
in hac Inclyta Illustriss. Princ.
Elect. Sax. Academia celebratio.
Ex qua praeter caetera cognoscetis,
non minus in nostra memoria &
animis haerere literarum illud decus,
quod in Reipub. vestra aliis
stis, quam in vestris medullis atq;
visceribus haeret. Accipietis itaq;
lubena*

lubentibus animis hoc meum ^{ἔπι}
βαλλον μέρος, quo ornare Wolffium
vestrum conatus sum.

Si porro quæretis à me, Viri
amplissimi, cur tantopere hoc ho-
mine delecter: planè respondeo:
primum amoris vinculum inter
Wolffium & me tantum fuisse, ut
ne in morte quidem rumpi aut re-
uelli debeat. Deinde coniunxit
nos ipsa professionis societas. Di-
dicì autem ex Cicerone, quantum
sit tribuendum his, qui studiorum
communitate nobiscum copulati
sunt. In medio sunt proœmia, qui-
bus Cicero cum honestissima lau-
datione complorat mortem scipio-
nis in Lælio, Hortensij in Brutos
Crassi 3. de Orat. Quod cum benè
mibi & laudabiliter à Cicerone fas-
ctum videatur, quod sui temporis

A 3 Orato

Oratorū sibi amicissimorum mors
tem non solum defleuerit, sed eorum
dem etiam nominis memoriam mo-
numentis suis consecravit: nec mi-
hi vicio verti posse arbitratus sum
si, quantus in hunc laborum meo-
rum socium amoris mei sit sensus,
scripto quocunq; testatum facerem.

Ut autem professionis, sic etiā
valetudinis inter nos quaedam si-
mitudo extitit. Quos n. illi dobo-
res, vel cruciatus potius horrenda
Lithiasis attulit, eosdem ego quog;
vel certè non minus acerbos per-
pessus sum. Nisi quod ille, quo ad
vixit, queri de reliquijs pristini
morbi nō desijt: quasi iam medicis
& medicamentis omnibus in-tan-
ta naturæ imbecillitate, & ingra-
uescente ætate destitutus. Memini
ipsum consolari se unico hoc solatio
quod

quod, cum sexagesimum iam con-
fecisset annum, non longè ab exitu
vitæ abesse posset. Sed vixit tamen
in tertium annum post, & attigit
illum, quem ^{avd' go} ^{ἀνδ' γο} Astrologi
vocant, ex hebdomaticis & Ennea-
aticis conflatum. De quo datis aliis
quando literis ad me sic perscripsit:
hunc si mea mors anteverterit, mi-
nimè illi succensebo: vitæ huius
satur, & spe melioris fretus.

Postremo cum tanta fuerit for-
tunæ varietas Wolffij, quæ tan-
dem tamen eò illum prouexit, ut
plurimis viuis profuerit, & dein-
ceps mortuus etiam sit profuturus:
exemplum ipsum solatio multis stu-
diosis fore confisus sum: quo & ipsi
vel in egestate se sustentent, vel
prospera fortuna sic uti studeant,
ut rationem Deo, patriæ & Rei-
pub.

A 4 pub.

63
-67

pub. Christianæ aliquando possint
reddere.

Deus misericors & propitius
amplitudinem vestram, atq; ad
Remp. totam verè Augustam be-
nignè clementerq; conseruet inco-
lumem ac florentem, nec optima-
rum artium magistros, viuendiq;
præceptores, Wolffio similes dees-
se vobis unquam patiatur. Lipsiæ
ex collegio Paulino, Cal. Iulij,
Anno M. D. LXXII.

Amplitudinis vestræ
Observantis.

Matthæus Dreserus
7. viralis professor.

DE

DE HIERO-
NYMO VVOLF-
FIO ORATIO.

IN prima Tusculana
Ciceronis contentio
est de duobus Epita-
phijs Ennii & Solonis,
quorum ille in suo ve-
tuit mortem suam de-
plorari, hic verò, vt pro se mortuo
amici lugerent, etiam depoposcit.
Etsi autem Cicero Ennii orationem
Solonis anteferat, quod magni ani-
mi & sapientis esse putet, luctum
contemnere, nec de eo, quid post
mortem in his terris de nobis fiat,
solicitem esse; plenior tamen est hu-
manitatis & Christianæ pietatis sen-
tentia Solonis, quæ ~~philosophicè~~ ^{philosophicè} expri-
mit naturæ hominis maximè conue-
nientem & necessariam. Non enim
mollities animi est, amici aut pro-
pinqui calamitatem, casum aut mor-
tem

A 5 tem

tem mærare atq; lamentari, vt for-
tasse Ennio visum est, & placuit Sto-
icis: Sed sensus humani specimen,
affectioisq; naturalis insigne est in-
dicium. Negat vir fortis & magna-
nimus apud Homerum, sibi cor in-
esse ferreum, sed ad misericordiam
propensum. Et ille ipse virtutis &
humanitatis magister Homerus he-
roas suos non facit ἀπαθείς καὶ ἀδά-
κτους, sed συμπαιδείης ἢ ἀπειθαρχίας. Neq;
enim decet hominẽ humanis spolia-
re affectibus, nec aliorum amore di-
gnus est, qui nullũ ipse amoris sen-
sum in suos habet. Melior itaq; absq;
vlla dubitatione est Solonis oratio:
quod pace Ciceronis dixerim: ic-
circo quia naturæ, quia pietati, quia
humanitati magis congruit, quàm
Ennũ, quæ nescio quam immanita-
tem inducit.

Quod cum ita sit, & nos non sen-
sus solum noster, sed pietas etiam
ipsa cogat eorum, quos in vita caros
habuimus, morte mærare: non dis-
simulo ego, sed præ me fero animi
mei dolorem, quem ex decessu ex

hac vita cæpi duorum egregiorum
& amicissimorum hominum, Hie-
ronymi Vuolffh̄, & Ludouici Ca-
merarh̄: quorum ille anno octoge-
simo supra millesimum, quingente-
simū à nato saluatore, mense Octo-
bri, hic vero hoc ipso octogesimo se-
cundo, mense Iunio extinctus est.
In utroq; ingenh̄ motus erant arden-
tes, ad excogitandum acuti, ad ex-
plicandum apti, & ad memoriam
firmi: vt nati omnino mihi ad cog-
nosendam tractandamq; liberalem
doctrinam viderentur. In Ludouico
plurimæ literæ, nec eæ vulgares, sed
interiores, & reconditæ. In Hie-
ronymo docendi dexteritas, indu-
stria, exercitatio & vsus tantus,
quantus in hominem potest cadere.
In Ludouico iudicij rectitudo & an-
tiquæ virtutis atq; integritatis tan-
tum, vt æquare patrem Ioachimum
sermone & moribus videretur. Hi-
eronymum verecundia, pudor &
eximia modestia commendabat, vt
qui & splendorem fucatum oderat,
& ab

& ab ambitione penitus abhorrebat. In utroque veritatis simplicis amor lucebat, & odium sophistices ardebat. Nis igitur his amissis grauius me commoueri, & opinione omnium, dolore maiore affici fatear: mei ipsius oblitus sim.

Sed in Ludouico alius erit forte dicendi locus. Iccirco nunc eum in praesentia, quamuis cum luctu, vel ut Homericō utar verbo, ἀχρῦ μένος ἢ τρυχόμενος missum facio. De Hieronymo autem Vuolffio agere instituta atque suscepta cogit oratio. Huius quidem mortis opportunitatem beneuolentia potius quam misericordia prosequi me debere agnosco, felicitatemque eam, quam per migrationem ex hac vita adeptus est, grato animo interpretari. Verum qui possum dolorem meum iustum omnino tacitum ferre? Etenim si natura hoc affert, ut æqualium, vel ut Graeci vocant, ὁμοτέκνων interitum doleamus: quo tandem animo me ferre decet Hieronymi mortem, qui studiorum

diorum meorum socius & Professio-
nis huiusce literarum consors exti-
tit: Qui deniq; eadem mecum cor-
poris & fortunæ conditione penè
conflictatus est. Quamobrem vt
eum dilexi viuū, sic prosequi amo-
re mortuum animus meus expetit.
Ac vtinam pietatis & amoris vim
tantam, quantam animo concepī,
profundere in hac oratione possem:
profectò dubium nemini foret, quin
vt officij communitate coniuncti, sic
omni mente etiam & voluntate con-
sentientes fuerimus. Nec tamen
vitæ eius historiam pertexam, sed
ea tantum ad explicandum excer-
pam, quæ erudire, consolariq; lite-
rarū studiosos atq; professores non-
nihil posse videbuntur. Cum enim
ita in literarum professione Vuolf-
fius vixerit, vt multa bonis imitan-
da reliquerit: necesse est illa pro-
ferri, & sub aspectu poni, quò ad
usus suos coniungere sibi quiuis
possit.

Parentibus natus est Hierony-
mus

mus honestis & bonis, in veteri
Comitatu Oetingensi, in Rhetia
antiqua. Et quanquam gloriari de
familia suae virtute & laude verè po-
tuerit, Pindarico præcepto obsecu-
tus: tamen industria & virtute pro-
pria emergere, ac nominis celebra-
tatem adipisci gloriosius sibi duxit.
Cum autem nulla re magis delecta-
retur, quàm literarum scientia: to-
tum sese cognoscendis tractandisque
artibus dedit. Itaque auelli sese à
Musis non est passus, etiam si pater
aliud vitæ genus sæpe suaserit. Fu-
it autem ingenio ex Melancholico
succo satis acuto quidem, & ad per-
cipiendas literas apto: sed animo
humili, demisso & plus satis solici-
to. Solet autem euenire plerumque
vt animo fortuna respondeat: & ab-
iectum quidem, anxiumque animum
fortuna excipiat miserabilis: ere-
ctum vero & alacrem amplectatur
& euehat fors altius. Hinc adeo cum
tristis & querulus natura existeret
Hieronymus, etiam fortunam mi-
nus

nus propitiam sibi esse querebatur.
Studia enim ipsius in ipso limine
vel ingressu statim aliud ex alio im-
pediuit, vt vix adhæresceret. Mo-
do obstitit valetudo adeo afflictâ, vt
incoatum studiorum cursum peni-
tus interrumperet. Modo pater vt
eum abstraheret, argumentis com-
pluribus obtinere conatus est. Nam
& corporis infirmitatem illi obiecit,
quæ ferre tantas contentiones, vi-
gílias & labores, quantas literarum
studia desiderant, haud posset. Et
animi tristitiam ei exprobrauit, quæ
actuosum magis vitæ genus, quàm
sit literatum, requireret. Tum sum-
tibus impendendis grauari se non
obscurè significauit. Iccirco dubi-
um esse studiorum illius cursum o-
portuit; dum sæpius ad alia reuo-
catus, serò tandem ad literas rediit.
Aliquando quotidianis conuicijs
quorundâ eò adduci se passus erat,
vt deserere prorsus literarum studia
constituerit. Quamobrem Norlin-
gam profectus pugionem & alia,
quæ

quæ aulica fert consuetudo, emere
voluit. Sed serius eò cum venisset,
nundinis finitis, nihil eiusmodi ve-
nale in foro inuenit: pudoreq; pro-
hibitus tabernam ingredi, in biblio-
polium forte incidit, vbi libros non-
nullos emit, quibus contentus do-
mum est reuersus. Hos vero cum
auide legisset, tantum voluptatis in-
de cepit, vt quasi diurnam sitim
explere cupiens de reditu in Aca-
demiam sedulo cogitarit. Nec for-
tuna optimæ eius voluntati defuit.
Venit enim Tubingam, & audiuit
Ioachimum Camerarium docen-
tem, Item Iacobum Scheckium,
et alios. Verum hic cum pater in me-
dio cursu sumtus se suppeditate-
rum amplius planè negaret, famu-
latu victum quærere, quàm Aca-
demiam relinquere Hieronymus male-
uit. Sed nec in isto officij munere di-
perseuerare eum siuerunt molestis-
simæ exostulationes studiosorum
inquietorum, qui nocturno tempore
ad suum arbitrium libidinemq;
fores

fores Collegij ab illo cupiebant sibi
aperiri. Quocirca iterum necessi-
tate coactus ex Academia domum
rediit. Nec multò post, spe in stu-
dijs progrediendi abiecta, in aula
Episcopi Vurcepurgensis scriba fa-
ctus est.

Sed verissimum est, quod apud
Herodotum Mardonius ait: ὅτι δὲ
γενεῶν ἐκ δεῦ, ἀμνηστικὸν ἀποτέλεσμα. Itaq;
cum deliberatum hoc constitutumq;
haberet DEVS, ex Hieronymo ef-
ficere doctorem salutarem scholis;
fieri aliter impossibile fuit, quam
vt ad intermissa doctrinæ studia ille
aliquando reuerteretur, eaq;, quæ-
cunq; tandem impedimenta incide-
rent, aut difficultates obicerentur,
continuaret. Fit autem nescio quo-
modo, vt intermissæ & desideratæ
rei bonæ vsus gratior sit interdum,
quàm assiduè retentus atq; perce-
ptus. Id quod Hieronymo huic ac-
cidisse planè mihi persuadeo. Quò
enim sæpius fortunæ iniquitas à li-
teris cognoscendis eum abstraxit,

B

ed

eò ardentius eas desiderauit, & cõ-
plexus est.

Habetis hîc, studiosi, quod &
documento vobis & solatio esse in-
signiter possit. Cognoscitis enim,
Hieronymo quid acciderit; non
omnia ad voluntatem eius fluxerūt,
nec cuncta quasi diuina virgula, vt
aiunt, illi suppeditata sunt. Sed ad-
uersa multa acciderunt, impedi-
menta valida inciderunt, & diffi-
cultates molestiæq; graues obstre-
perunt. Et tandem tamen, du-
cente Deo, ex istis quasi tempestati-
bus & scopulosis coribus, emerfit
atq; enauigauit. Ita nec vos pro-
pterea spem faciendi progressus in
studijs abhîcite, quod non omnia,
quæ cogitastis, ita procedant, vt
sperastis.

Quin obest plus quàm prodest
adolescenti prospera perpetuaq; for-
tuna, secundo vitæ, absq; vlla offen-
sione, cursu. Et vt virtutem excitat
& acuit aduersitas; ita penuria, e-
gestas & calamitas sæpe magistra
est

est artium, & homines reddit indu-
strios, probeq; exercitatos. Oportet
enim perpetuo cum artium doctrina
fortunam coniungere, non illam qui-
dem florentem & blandientem, sed
asperam & refragantem; quam nisi
à primis annis tolerare didiceris,
animo angeris, & nec tibi nec alijs
proderis. Verè vir est, quem fortu-
næ varietas paratum ad omnem ca-
sum euentumq; in vita effecit. Con-
tra verò mollis est, & abiecto ani-
mo in aduersitate, quicūq; ab initio
ætatis suæ nullum asperum fortunæ
flatum expertus est. Non est igitur,
quod desperetis, studiosi, de omni
studiorum successu, cum impedi-
menta & aduersitates, vel inopia
etiam obrepit. Habetis exemplum
fortunæ eiusmodi in Hieronymo, ex
quo discite statim ab incunabulis
ferre aduersa & deuorare molestias.
Non enim est, quod propitiam &
auream fortunam per omnia vobis
policeamini. Non fert hæc vitæ, non
concedunt mores huius seculi vllam

B 2 felici-

felicitatem ex omni parte, vt nuspi-
am offendas aut impingas. Alterius
hæc est vitæ fors atq; conditio, quam
hîc desiderare quidem licet, adipisci
non licet.

Ferte igitur & vos inopiam, fer-
te miserîâ, ferte aduersitates, ærum-
nas, & quæcunq; fert huius vitæ con-
ditio. Et interim animis alacribus
inuidiisq; in proposito perseuerate,
& in hæc studia, in quibus estis, in-
cumbite. Euentus DEO curæ erit.
Non, mihi credite, vllam particu-
lam veræ & vtilis doctrinæ percipie-
tis, cuius non aliquando fructus &
utilitas certa sit apparitura. Verè
in studijs literarum præstat penuria
affluentîæ, & plæruncq; egentes pe-
cunia locupletantur doctrina. Hæc
vos, studiosi, consolatio sustentet,
hæc animum vobis addat, vt stre-
nuè pergatis, nec vllis impedimen-
tis à cursu studiorum vos auerti pa-
tiamini.

Contra

Contra vero, quibus facultates
sunt maiores, & sumtus suppeditant
necessarij, hi gratias agant Deo, &
putent, cum omnia sibi suppeditata
sint ad studia, etiam atq; etiam pro-
uidendum esse, ne sibi defuisse ipsi
videantur. Graue .n. est, graue in-
quã abuti fortunis ad ignauiam, ad
luxum, ad inertiam; ingenium vero
ad vtilitatem priuatam & publicam
tributum, conuertere ad perniciem.
Quam rationem reddetis Deo, qui
munus hoc discendi literas vobis
adsignauit? Cum sic aliquando
vnumquemq; appellaturus est; Ti-
bi bona dedi tanta, quanta ad bene
beateq; viuendum homini satis esse
possunt, ingenium, sumtus, sanita-
tem, præceptores, & oportunita-
tem deniq; tantam, quantam homi-
ni optare fas est. His tu donis, quo-
modo vsus es? qua mente, qua fi-
de, qua cura pietatis & literarum
studia amplexus es, & coluisti? Vi-
den' alios, quibus dona tanta for-
tunæ denegata fuerunt, te probi-
tate,

B 3

tate, modestia & doctrinæ literarū
scientia longe antecellere: Te an-
teferre volui; sed tu te ipse proie-
cisti, nec naturæ ac fortunæ benefi-
cia rectè collocasti. Iecirco paupe-
res, egenos, inopes, humili genere
natos ex loco obscuro, vel, vt Psal-
mus ait, ex puluere erigo, & ex ster-
core eueho atq; ex alto, committens
illis & concredens meos summi pre-
cū thesauros, & ad eos potestatem
meam diuinam transfero, vel certè
cum hīs communico, vt sint & habe-
antur eo loco, quo ipse in terris sum
& haberi debeo: vt sint vicarij mei,
sint angeli, sint ministri, sint præ-
cones, sonent verbum meum, re-
mittant peccata, & retineant ea-
dem: vt doceant ac tueantur iusti-
tiam, leges, & omnia ciuilia offi-
cia: vt tradant ac propagent ar-
tes bonas, & diuina mea ope mede-
antur morbis, liberent à peste, &
morte deniq; ipsa eripiant nonnul-
los, quibus lucis huius vsuram diu-
turniorem ego concedere volo.

Hæc

Hæc omnia quanta sunt? quàm
diuina opera? quàm salutare in ter-
ris labores? pascere, erudire & re-
gere verbo diuino & Sacramentis
Christianos, consolari afflictos, eri-
gere iacentes, animum addere mæ-
stis, & ex orci deniq; faucibus eripe-
pere, & ad cælestem paradysum ad-
ducere contrritos, & metu iræ
DEI, mortis & æternæ damnationis
exanimatos? Quanti æstimanda est
opera dicendi lus in aulis, curiis,
iudiciis? dandi consilia, explicandi
controuersias, flectendi homines
oratione, vt deposito odio, simul-
tate & libidine in gratiam redeant,
placari se sinant, & ab iniuria no-
cendiq; cupiditate desistant? Quan-
tum vsum habet in scholis, Acade-
miis & reliquis cætibus doctrinæ
artium & literarum liberalis com-
municatio atq; propagatio? Sed hæc
quanta, quanta sunt, non nisi per
studiosos efficio.

B 4 Sic

Sic Deum quisque vestrum loqui
secum putate, & has voces eius in
auribus vestris assiduo sonare exi-
stimate. Verè enim talem tantumque
honorem ad vos, studiosi, transfert
Deus. Vos suos ministros, vos suos
vicarios vocat, deligit, expetit.
Nam ex hoc ipso cætu præsentè De-
us aliquos excerpit & destinabit ad
sacrofanctas in Ecclesia sua functio-
nes, alios adhibebit ad aulica mune-
ra, alios ad politica, alios ad schola-
stica, alios ad medica opera faciendâ
& exercendâ ordinabit. Nec est alia
officina Domini Septemviri nostri
clementissimi, in qua præparentur
& instruuntur homines ad publica
in Ecclesia, aula, scholis & politis of-
ficia, quàm Academia talis, cuius
membra & ciues vos etiam estis.

Sed longius euagatur oratio: re-
deo ad Hieronymum, cuius exemplo
vos incitare ad amorem studiorum
conatus sum: vt siue suppetant sum-
tus studiorum, siue non suppetant:
benè nihilominus de successu studio-
rum

rum speretis. Et si quidem tenui & afflicta fortuna aliqui sunt, Dei promissa, & huic Hieronymo bona fide præstita ope se sustentent; fore confidentes, vt quemadmodum DEVS Hieronymo, sic sibi etiam in honesto, pio & vtili proposito discendi literas, & seruiendi Deo atq; hominibus subueniat. Si qui vero in laudiori fortuna positi sunt, hi rationem sibi reddendam esse Deo certò sciunt, quomodo facultatibus suis vsi sint, & quomodo suo muneri diuinitus assignato satisfecerint. Væ enim illis, ait diuinum oraculum, qui opus diuinum negligenter fecerint.

Accipite deinceps, quomodo fortuna cū Hieronymo egerit, & quousq; tandem progressus sit. Ad scholasticum vitæ genus & natus fuit, & maximè etiam aptus. Iccirco cum Vuitebergæ non solum didicisset literas à D. Philippo & alys, sed uertendo etiam de græco quædam in latinum, ingenij & industriæ suæ specimen

B 5 cimen

cimen dedisset: missus est Mylhus-
am Thuringorum à D. Philippo, ad
gubernandam scholam, nempe anno
1543. Vbi biennio commoratus
Norimbergam deinde venit, & ad
erudiendum duodecim selectos a-
dolescentes à senatu stipendio hone-
sto conductus est. Inde Argentinam
profectus à Sebaldò Hauenreutte-
ro, Medico, receptus hospicio, libe-
raliterq; tractatus est, quò Isocrati
vertendo, uacare commodè posset.
En iterum Mæcenatem Hieronymo
diuinitus haud dubiè tributum, ut
quod cogitaret, exequi posset.

Huiusmodi Mæcenates siue pa-
tronos solet dare Deus his, quorum
operam vult prodesse rebus comu-
nibus, qui quasi hospites communes
sefe præbent Musis, & earum secta-
toribus. Qualem Erfurdix aliquan-
do se præstitit Eobano Hesso Geor-
gius Sturcius Medicus, immortalis
laude, non minus quam Sebaldus
Hauenreutterus, dignus. Cum
enim

enim lætari, & vt ita dicam excitari
videret Poëtam illum bono vino ad
fundendum carmen : vino liberali-
ter communicato illum inuitauit, vt
Psalmos eo carminis genere, quo
hactenus Ecclesia & vniuersa stu-
diosorum cohors cum fructu magno
vsa est, ederet. Quoties. n. Psalmum
vnum à se redditum & illustratum
versibus attulit, bono vino, suauis col-
loquio, & alys humanitatis officijs
ab eo exceptus est.

Post aliquantò Hieronymus Lu-
tetiam Parisiorum cum Augustanis
quibusdam discipulis profectus est.
Sed inde altero anno reuersus Basi-
leam est, & Demostheni operam ite-
rum dedit. Etsi autem postea in Gal-
liam denuò venerit : tamen commo-
randi illic locum sibi relictum planè
nullum intellexit. Rediit itaq; breui
Basileam, & Augustæ à D. Antonio
Fuggero benignè receptus atq; ha-
bitus est: tum illustri Bibliothecæ D.
Ioannis Iacobi Fuggeri præfectus.
Ibi

Ibi tum Isocratem & Demosthenem
græcolatinos politius & limatius
edidit, tum Zonaram & Choniatem
historicos conuertit. Donec ab am-
plissimo Augustanz Reipub. Sena-
tu scholæ reparatio & gubernatio illi
commissa est. In quo quidem officij
munere singulari fide & diligentia
eximia versatus est vsq; ad finem vi-
tæ. A senatu vero honestè liberali-
terq; tractatus, ornauit Rempub. il-
lam antiqua virtute & laude cele-
brem docendo, scribendo, & propa-
gando literarum scientiam, quoad
facultas viri Deo pariter & Musis
carum tulit. Non .n. est decus Reip.
Christianæ maius, non ornamentum
præstantius, quam liberalis doctri-
na, politiorisq; humanitatis, pieta-
tis, iustitiæ atq; virtutis professio.
Hæc Christianam Remp. maximè à
Turcica barbarie, immanitate &
colluione separat. Hæc Deo ac-
ceptos reddit, & plurimum ad com-
munem societatis humanæ fructum
affert. Ex Musis enim, vt Poëta ait,
eximi-

eximium decus ad homines redun-
dat. Vicissim vero nullum à Rep.
ista amoris, nullum honoris, nullum
studij, nullum pietatis, nullum libe-
ralitatis officium Hieronymo defu-
it. O beatam civitatem, quæ no-
minis sui celebritatem Musarum &
virorum doctorum commercio atq;
cõiuctu retinere atq; augere studet.
Quod Augustam inclytam omniq;
laude cumulata abundè arbitror
declarasse, dum huic Musarum an-
gelo, Hieronymo non hospitium so-
lum, verumetiam victum, stipendi-
um, cæteraq; ad vitæ vsum cultumq;
necessaria præbuit. DEVS omnium
disciplinarum, artium & doctrinæ sa-
lutaris fons, autor, custos & conser-
uator laudes & honores immortales
illi pro diuinis & immortalibus suis
meritis tribuat.

Præclare autem Hieronymus
vixit quia non solum profuit viuus
omnibus, qui literas latinas & græ-
cas amant, sed etiam nunc prodest
mortuus. Reliquit enim ingenij
sui

sui monumenta literis mandata, quæ
erudire poterunt etiam posteros. In
medio est Demosthenes, cum primis
luculentè, ornatè, & ad rerum digni-
tatem aptè & quasi decorè in sermo-
nem latinum conuersus, & scholijs
utilibus illustratus. Quo vno ope-
re contenti ab Hieronymo esse po-
tuissemus, etiamsi aliud nullum edi-
disset. Effecit enim, vt ante ignotus
plærisq; Demosthenes, nunc famili-
ariter nobiscum versetur in scholis
& Academijs.

Questus est Hieronymus, cum
Lutetiam Parisiorum denuò venis-
set, professorem regium Strazeliu[m],
qui Demosthenicas orationes tunc
interpretatus est, canina rabie, pro
suggesto versionem suam exagita-
se, & per calumniam mirè deforma-
se. At cum ille bonus vir isto nomi-
ne appellatus à Vuolfio rationem si-
bi reddendam esse intelligeret ca-
lumniæ suæ, ocium sibi deesse ad eam
rem finxit, nec admittere postea
Vuolfium ausus est. Qua tergiuer-
satione

862
Lij

satione non obscure significauit Gal-
lus iste, alienæ laudis inuidia magis,
quam vera aliqua causa impulsam
sele Vuolffij interpretationem dente
maledico carpisse. Doluit scilicet
ab homine Germano præripi Gallis
tantam laudē, quæ verè magna est,
Demosthenem scilicet in Germa-
nia ab homine Germano latinè lo-
qui cum Germanis, Gallis, Italis di-
dicisse: quod ante id tempus discere
ita potuit à nemine.

Sed non contentus Demosthe-
ne Hieronymus etiam Isocratē
græcolatinum, scholæsq; explicatum
nobis suppeditauit. Cum autem re-
uera his duobus luminibus Orato-
rum nihil olim florentissima Græcia,
nihil illæ ipsæ Athenæ habuerint
præstabilius aut gloriosius: est sanè
quod gratulemur Germaniæ no-
stræ, quod per Vuolffium tantorum
fluminum eloquentiæ particeps fa-
cta sit. Utinam vero persuaderi hoc
nostris hominibus, vel vobis, studi-
osi carissimi, possit, ut hosce quanti-
uis præcū thesauros magnificatiatis,
& cum

& cum Demosthene, Isocrateq; colloqui Latine & Græcè cupiatis.

Est hoc decus Germaniæ ingens, est adiumentum Ecclesiæ, est ornamentum Rerumpub. sonare Atticam eloquentiam in scholis, atq; adeo omnem vim Oratoriæ facultatis ex Græcia in Germaniam esse effusam. Nihil nobis deesse video ad solidam eloquentiam, nisi studium operam & industriam in amplectendo, discendo, colendo, tuendo. Fidentur ipsi Græci, qui reliqui sunt hodiè Constantinopoli, præ cæteris eruditi, & Christianæ religionis amantes, totum Musarum chorum relicto Helicone, in Germaniam migrasse. Nec dubium est, Eloquentiam Atticam, patriâ vastata, in Germanica gymnasia auolasse.

O fraues hospites Musas, ô gratum commercium Eloquentiæ græcæ, quo exhilarantur Academiae, locupletatur Ecclesia, ornatur forum, lætantur curiæ, gloriantur aulae. Quod si Demosthenem aut Isocratem

cratem hodie remitteret Orcus, non profectò sedem Eloquentiæ suæ illi in patria collocarent, sed procul trās alpes in Germaniam abirent, & Augustæ Vindelicorum paratum sibi à Vuolffio domicilium deligerent: vbi scilicet renati sunt, vbi D. Fuggeri & Senatus liberalitate alti & egregiè remunerati sunt. Hanc laudem pro sua sibi vindicat Augustana Respub, iccirco quia Vuolffium fouit, Demosthenis & Hocratis ^{ἀριστῶν} & interpretem.

Laus est etiam D. Septemuiri nostri, D. Augusti Principis Clemētissimi, quod in his ipsius Academijs sonat Eloquentia Demosthenica & Hocratica, nec conticescit Ciceroniana. Quod si qua ex latinis & græcis literis gloria, si qua vtilitas percipi potest: magna utiq; hinc ad terram Saxonicam, atq; adedò ad totam Germaniam redundatura est. Modo vos vigilātes sitis, & serio hæc diuinæ Eloquētiæ studia colatis: quo paulò post ex hoc ipso discentium cætu
C vocari

vocari atq; eligi possint, qui Eloquē-
tix suæ riuulis hortos Ecclesiæ, aulæ
& omnium partium Reipub. rigare
possint.

Præter Oratores Atticos Sui-
dam etiam Latinum fecit Vuolffius,
& historiam Byzantinam transtulit
à Zonara, Niceta, Nicephoro Grego-
ra, & Laonico Chalcondyle conscri-
ptam. Quam alioqui tota fortasse
adhuc ignoraret non solum Germa-
nia, verum etiam Italia & Gallia. E-
Ciceronis etiam scriptis nonnulla
commentarijs & annotationibus su-
is explicauit, quorum in numero
sunt tres de officijs libri, Dialogi duo
& libri quinque Tusculanarum qua-
stionum. Si qua præterea scripsit
aut interpretatus est Vuolffius, in
manus meas non peruenerunt. Hæc
autem quæ recensui, an non satis
præclare eum in literis vixisse decla-
rant?

Cognouistis labores Hieronymi
salutares, percepistis monimenta,
quibus memoriam nominis sui con-
secra-

secrauit, & nobis omnibusq; posteris
commodauit. Accipite deinceps
etiam præmia, honores & fructus,
quibus labores eius honesti sunt de-
corati. Si enim laborasset solū Hie-
ronymus, nec laboris mercedem
consecutus esset, iniquè admodum
cum eo actum esse haud negarem, &
deterret etiam alios à simili studio
atq; conatu talis præmiorum inopia.
Fateor autem, grauius de fortunæ
iniquitate multa questū esse Vuolf-
fium. Nec dissimulo eius voces ni-
mis molles de asperitate conditionis
suar, de hominum iniurijs, dolo, frau-
de, perfidia atq; violentia. Scio quo-
q; egestatem suam sæpe illum deplo-
rasse, mortemq; sibi optasse. Quæ
quia ex parte quadam à Philosophia
aliena sunt, non laudo, sed eo loco ha-
benda duco, quo digna sunt. Quod
enim benè factum ab eo est, id debi-
ta laude ornare cupio. Quod vero
ex animo molli & abiecto profectum
est, repudio, vel potius, *ἀποδοκιμασι,*
candidè interpretor, tanquam vnus,
C 2 qui

qui & ipse hominem se esse fatetur,
& humani à se nihil alienum putat.

Fraudes, imposturas, inuidiam
atq; perfidiam hominum experimur
omnes, quamuis alius alio magis
grauetur atq; percellatur. Sed num
propterea queri perpetuò volumus?
Illiteratos contemnere talia sæpe,
vel certè eleganter ferre posse vide-
mus. Quid igitur facere conuenit
literatos? An nihil est reliquum
præsidi in literis, quo roborari ani-
mus in tali casu possit? An statim
obliuiscemur omnium præceptorū
& exemplorum, quæ legimus, vidi-
mus, didicimus vel docuimus etiam
alios ipsi? Eñcienda est ista animi
mollities, & deuorandæ hominū in-
iuriæ, vel deglutiendæ potius, secun-
dum prouerbium Gallicum, vt pa-
stilli. Erat natura querulus Hiero-
nymus, vel vt Græci dicunt *μυρτι-
μολεος*, suam fortunam deterrimam
ducens, aliorum vero beatam existi-
mans; haud perpendens interim, se
sua tantum mala suo loco sentire, ali-
um

um alia loco suo : & nihil esse ex om-
ni parte beatum in hisce rebus hu-
manis.

Sunt onera, sunt molestia, quæ
nos premunt in hac scholastica pro-
fessione. Verum non minores for-
tasse sunt, quæ grauât alios. Et si nos
solos esse, quibus nō omnia ex sentē-
tia succedant, arbitrāmur, in turpi
errore, & rerum humanarum igno-
ratione versamur. Has molestias
non nisi cum supremo halitū vitæ
deponimus. Nec est quod vllum
tranquillum spiritum, vacuum ab
omni cura & ægritudine speremus,
in hoc curarum, sollicitudinum &
auxietatum æstu atq; ergastulo, Nō
nasci te oportuit Vuolffi, si vacare
his communibus & necessarijs malis
voluisti. Sed hoc ne optare quidem
licuit : cum viuere te cum commo-
tanto Reipub. Deus voluerit. Non
perpendisti satis mundi morem.
Non queri statim conuenit, cum
moles aliqua durior etiam nos pre-
mit. Gemere quidem licet, & Dei

C 3 opem

opem implorare, querelas vero ingeminare, mulierum more, non est viri, nedum Philosophi. Sic enim comparatum est, vt cum rari sint, qui querelis nostris moueantur, satius sit tacere, vt verus mihi videatur in vtramque partem versus iste:

*Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu. Et
Qui sapit, in tacito mæreat ille sinu.*

Plæriq; incommoda quidem multa sentiunt, sed dissimulant, obsequentes Pindarico præcepto, vt pulcra foras vertantur, deformia vero occultentur.

At quorsum hæc studiosi? Huc videlicet, vt moderatè discatis fortunam, quamcunq; Deus dederit, ferre. Non absq; incommodo, non absq; grauibus molestiis viuere possumus, & vt se in cauernam aliquis abdat, non tamen vitare omnes misérias poterit. Habet inuidiam, odium, perfidiam etiam noster ordo, cogimur inimicitias suscipere multorum,

rum, obſcure periculis corpus & vi-
tam, ferre ſæpe calumnias, obtrecta-
tiones, conuicia, inopiam, contem-
tum, iniuriam. Verum interea ani-
mis neq; frangi, neq; queri nimium
debemus. Non enim h̄ nos ſumus,
quibus proſpera euenire omnia, ad-
uerſi accidere nihil oporteat. Uſu
venerunt eadem & quidem atrocio-
ra multò alijs, qui nos ſapientia & di-
gnitate antecunt.

Cum Socrate quomodo actum
ſit, ignotum puto eſſe nemini. Quid
quæſo illi ad ſolidam ſapientiam &
eruditionem defuit? An non pieta-
te in Deum, & inflammato ſtudio in
homines bene mereri de cunctis co-
natus eſt? quin in paupertate etiam
diuini cultus cauſa fuit. Et tamen
à maleuolis & iniquis obtrectatori-
bus atq; aduerſarijs ſuis impietatis
& corruptæ adoleſcentiæ accuſatus
& capite damnatus eſt: non niſi ex
mera inuidiâ & odio, quod multos
inſcientiæ conuiciſſet. Hoc ſi tanto
viro accidit, quid tu tibi viſ, aut
C 4 quam

quam præcipuam fortunam tibi postulas, qui cum Socrate haudquam conferendus es? Suppeditat exempla illustriora & veriora cælestis scriptura, Noami, Iosephi, Mosi, Eliæ, Dauidis, Esaïæ, Ieremiæ, Danielis, Ioannis Baptistæ, Pauli, & id genus aliorum, quorū nullus est, quin in suo officii munere multò acerbiora pertulerit, quam nostrum aliquis hodiè potest perferre.

Fugiamus itaq; temeritatem istã, præstemusq; nos in professione nostra sancta eos, qui esse debemus, hoc est, non recta solum, iusta, bona, vtilia & salutaria facere studeamus, sed quæ fert secum professio, firmis etiam animis, toleremus. Mortem vero optare in calamitatum concursu humana quidem est infirmitas, quæ cadere in vnumquemq; potest. Quocirca minus isto nomine reprehendendus videtur Hieronymus, quod & ipse maluerit in primis annis ætatis se extinctum esse, quam tot malis confictari. Nec dubito idẽ in mentem

mentem sæpius venisse sanctis quibusdam hominibus. Ex quo magis miror stolidum & ineptum Iudæorum de Mose commentum, quod ad vitæ exitum vocatus obsequi recusavit: cum contra mortem haud dubiè sæpius optarit in tanta mole ærumnarum, quas sustinuit, si per Deum modo licuisset. Veruntamen nec huic nimium est indulgendum opinioni aut cupiditati, ne munus à Deo adsignatum defugere velle videamur, & seruire Deo in statione commissa recusare. Quod & impium est in Deum, & perniciosum proximo. Tantum igitur abest, vt mortem precari debeamus, vt gratias etiam agere Deo pro concessa vitæ vsura deceat: & si quidem inseruire ipsius honori, communiq; commodo amplius possimus, prorogari vitam petere oporteat.

Nec illud etiam in Hieronymo laudo, quod coniugium vitarit, & felicitatis partem præcipuam esse putavit *ἑνωμόν τε καὶ ἀγαθόν ἐστιν*. Quæ enim po

C 5 test

test in hoc esse felicitas, quod Deus
ipse malum dicit: cum ait: Non bo-
num est homini esse solū. Deceptus
est igitur opinionis errore, quod id
in bonis numeravit, quod Deus ma-
lum pronunciat. Quin commodi,
voluptatis & solatiū plurimum ex eo
cepisset, si mandato Dei obsecutus,
sociam vitæ fidam sibi adiunxisset,
in cuius sinu effundere querelas po-
tuisset, quæque molestias lenire, & fa-
stidia vitæ, laborumque vocationis ex-
cutere sciuisset. Tanto igitur bono
cum se priuarit ipse, acerbiores illi
esse omnem vitam oportuit. Nec po-
tuit iure queri Hieronymus, occasi-
ones sibi defuisse, cum non semel di-
uinitus oblatae fuerint non contem-
nendæ. Quemadmodum nec de præ-
mij laborum & operum suorum edi-
torum querelam vllam ferè iustam
satis habuit.

Nam vt de reliquis nihil dicam,
an non Isocratis vertendi labor am-
plo satis munere centum Ioachimi-
corum ab Inclyto Senatu Augusta-
næ

na Reipub. est remuneratus: Suidæ
vero conuersionem ducentis flore-
nis generosus & magnificus Domi-
nus Carolus Villingerus, Baro à
Schonenberga, muneratus est. Quid
dicam de commentario Officiorum
Ciceronis, quod quinquaginta au-
reis eadem Respub. Augustana ho-
norauit: Vnde satis apparet, hone-
stos, officiosos & vtilis Vuolffij labo-
res honoribus præmijsq; satis amplis
decoratos esse. Quod ipsum solatio
etiam studiosis esse potest, vt de mer-
cede laborum, præmijsq; studiorum
suorum minus sint solliciti. Deo e-
nim curæ est, ne literarum & artium
studiosis atq; professoribus debitus
honus & subsidia necessaria desint.
Discite modo strenuè & eruditione
solida mentes vestras complere stu-
dete, vt vsui esse Deo & hominibus
possitis.

Sunt in hoc Ducatu, studiosi, tot
aulica officia, tot Ecclesiasticæ fun-
ctiones, tot scholasticæ administra-
tiones, tot in singulis curijs, prouin-
cijs &

cijs & quæsturis munera, quæ vestrâ
operam expectant atq; requirunt,
vt bona spes sit, vnumquensq; ve-
strum, tempore suo, locum, victum
& honorem suum esse inuenturum.
Quod si non in omnibus vestris op-
tatis fortuna respondeat, nec eo tem-
pore & modo, qui vobis videtur
commodis & opportunus, honos &
præmia fortè tribuantur; recorda-
mini nec Hieronymo nostro, nec vl-
li alij omnia ex sententia successisse.
Non enim tam expetenda nobis est
fortunæ copia & facultas, quam dis-
cenda in carendo patientia, & in
vtendo ratio. Serò quidem Hiero-
nymum fortuna respexit, non peni-
tus tamen neglexit, sed suo tempore
euexit, & ad sempiternam nominis
gloriam erexit.

Habemus igitur in Hieronymo
vtriusq; fortunæ exemplum, miseræ
scilicet multumq; iactatæ, & secur-
dæ florentisq; : cum & labores ad-
uersitatesq; multas sustinuerit, &
præmia etiam tanta pro sua indu-
stria

stris adeptus sit, quanta consequitur nemo, nisi cui ad efficiendum aliquid salutare diuinitus adiuncta fortuna est. Ducimus enim illum iure omni in eorum numero, qui nati sunt, non quidem ad summa illa, quae heroicis & principibus viris in mundo commissa sunt, sed ad docendum & propagandum bonas literas in scholis. Ac si qua debetur docentibus gratia, si quis honos tribuendus est: merito etiam à nobis debetur atque tribuitur huic Hieronymo, ut videlicet non memoriam tantum illius in Academia hac retineamus, sed gratiam etiam illi pro tantis in Reipub. literariam meritis perpetuam & immortalem habeamus. Errat enim tota re, si quis putat, doctrinae liberalis interpretem ac propagatorem exiguum aut contemnendum esse Dei donum.

Habeat suam laudem scientia rei militaris, quam semper in mundo obtinuit: sed relinquatur etiam suus locus disciplinae artium & literarum.
Eodem

Eodem tempore florebat in Græcia
Philippus rex Macedonum, & Plato,
Aristoteles, Demosthenes, Isocrates,
Ac Philippus quidem bella gerebat,
Plato vero, Aristoteles, Demosthe-
nes, Isocrates Philosophiam & Ora-
toriam exercebant. Iam Philippi
gesta obliterauit penè temporis ve-
tustas. At Platonis, Demosthenis
opera nulla vnquam delere potest
obliuio: quippe hodie nobiscum lo-
quuntur, nos erudiunt & instruunt
mortui non minus, quam olim fece-
runt viui. Sic nostra hæc ætas mili-
tes tulit & duces belli solertes, indu-
strios, felices & salutare, quibus su-
us manet honos. Sed tribuenda eti-
am laus est nostro Vuolffio, qui ex-
ercitatus, peritus, & sedulus fuit do-
cendi & interpretandi literas lati-
nas & græcas artifex. Ex cuius mo-
nimentis, tanquam ex fontibus, hau-
rire poterunt omnes Eloquentiæ la-
tinae & græcæ studiosi. Ac si diligen-
ter circumspicere volumus, hoc vno
bono, post sanctum Dei verbum, ex-
cellit

cellit Christianus orbis, quod arti-
um & doctrinarum habet professo-
res, iustitiæq; Sacerdotes atq; custo-
des. Cætera ornamenta atq; insi-
gnia cum Turcis fermè nobis sunt
communia.


Nos ergo, nostro loco, gratiam tibi ha-
bemus, Vuolffi, ac memori mente persolue-
mus perpetuò. Vtinam vos etiam, studiosi,
id vobis persuaderi à me sinatis, vt rectis stu-
dijs ad veram, vtilem & solidam eruditionem
contendere neminem posse credatis, nisi cum
Tullianæ eloquentiæ studio, Demosthenicæ
& Isocraticæ Eloquentiæ studium coniun-
gat. Quid enim nauare & efficere potestis,
si Iurisconsulti, si Theologi, si consiliarij, si
consules, si iudices futuri estis, si alios vicissim
docere aliquando literas vultis, nisi latinæ &
græcæ eloquentiæ doctrinam percipiatis?
Quicumq; autem latinæ & græcæ eloquen-
tiæ amore tenetur, is Vuolffium interpretem
non aspernabitur, sed gratias illi pro inter-
pretationibus & declarationibus tam perspi-
cuis, tam disertis Demosthenis & Isocratis
aget. Sic interire memoria tua Vuolffi, non
poterit, dum studia hæc eloquentiæ & lite-
rarum reliqua erunt. Et semper tibi gratiam
aliquam habebunt, qui legendis tuis lucubra-
tioni

tionibus in latina & græca oratione profici-
ent.

Plura, quæ vel de te prædicem, vel tibi op-
tem, non habeo, nisi vt pro tuis laboribus &
meritis in omnes scholas & Academas red-
dat tibi æterna & augusta præmia æternus
& omnipotens Dei filius, λόγος, omnis Elo-
quentiæ veræ & salutaris fons & dator vir-
tus. Quem vna cum æterno patre & Spiritu
sancto oro, vt studia literarum & Eloquen-
tiæ in hac Academia incendat, foueat, augeat
& seruet: quò prodire non ita multò possint
inde, tanquam ex Isocratis ludo, possint in-
uenes & viri instructi literis & eloquentia
ad omnia Ecclesiæ & Reipub. sub illu-
stris. & clementis. nostro septem-
uero, officia & partes admi-
nistrandas atq; tuen-
das. Dixi.

2 Timoth. 1.
Spiritus domini in te habet, qui in
laboribus, hoc est laboribus non desides.
Nemo ego adolefens in te habet, qui
puellas in te habet, pietas, bonitas
& opem in te habet.






REUSM
opusculu







REUSM
opusculu









Th
5859